

De relatione & relatis.

153

18. Habet autem relatio prædicamenta-
lis certa quædam requisita, sine quibus es-
se non potest.

19. Primum relationis requisitum est *sub-
jectum*, in quò scilicet est relatio. Cum enim
relatio sit accidens, accidens autem involvat
ordinem ad subjectum, sine quo esse ne-
quit, idem de relatione quoque dicendum
est, quod requirat subjectum, cui inest,
hoc ipsum autem subjectum est aliqua sub-
stantia, quæ per relationem ad aliud re-
fertur, e. g. *homo* est subjectum paternita-
tis.

20. Nota: Cavendum hic est, ne con-
fundatur subjectum cum ipsò relato,
quod à multis fieri solet. Differunt enim
hæc duo, quia relatum in sua essentia in-
volvit tum subjectum, tum ipsam relatio-
nem, e. g. *Pater* est relatum, & tum
subjectum, nempe *hominem*, tum ipsam
quoque *paternitatem*, tanquam relatio-
nem involvit in sua ratione & essentia: at
verò subjectum in se suaque ratione for-
mali relationem non includit, quamvis
ei substat, e. g. *homo* est paternitatis subje-

K 5

ctum.